



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archipresbytero De Gravalona Novariensis diocesis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

eidem, ipsum ab alienandi suspendimus potestate, ut ipso jure contractus alienationis sit irritus, si quis forte per ipsum medio tempore fuerit attentatus. Interim autem dilectos filios Decanum & magistrum Gall. Canonicum Tervisinos circa curam & administrationem temporalium ei præcepimus adhiberi, sine quorum consilio & assensu in temporalibus non ministret, præstito ab illis corporaliter juramento quòd ei circa temporalium administrationem assistent fideliter & prudenter. Super eo autem quòd quædam ecclesiastica beneficia, non solum indignis, sed etiam indignè asseritur concessisse, veritatem nihilominus inquiratis, & eam ad nostrum referatis examen, interim ipsum à potestate conferendi ecclesiastica beneficia suspendentes. Ceterum ut plenè indemnitate provideatur Ecclesiæ Tervisinae, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus super rebus alienatis, videlicet quot & quanta quantique valoris extiterint, quodvè dispendium ex hoc incurrit Ecclesiæ Tervisina, necnon & aliis circumstantiis inquisita per Canonicos Tervisinos juramento interposito sollicitè veritate, depositiones ipsorum ad nos sub sigillis vestris inclusas fideliter transmittentes, præfigatis Episcopo terminum competentem infra quem per se vel procuratorem idoneum nostrò se conspectui repræsentet, ut super hoc secundum quod expedire viderimus procedamus. Vos igitur tam prudenter in præmissis sublato contradictionis & appellationis obstaculo procedere studeatis quòd circumspèctionem vestram ex hoc possimus in Domino commendare. Nullis litteris veritati &c. Vos denique, fratres Patriarcha & Episcopo, super vobis ipsis &c. Datum Laterani v. i. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIPRESBYTERO DE Gravalona Novariensis diocesis.

Epist. 10.
De interdicti
sententia re-
tractanda.

EX parte communis de Gravalona Novariensis diocesis fuit propositum coram nobis quòd licet terra ipsorum fundata sit in solo habili & fecundo, adeo tamen infortunata est & infaulta ut nec in rebus multiplicari valeat nec personis, & cum fortuna sibi aliquatenus arridente, speratur quòd ab hujusmodi debeat infelicitate confurgere, casibus semper opprimitur improvisis, quod ex eo existimant provenire quia terra eadem olim, sicut fama est, propter excessus dominorum ipsius suppo-

Tom. II.

stita fuit sententiæ interdicti, quæ non creditur fuisse postmodum relaxata. Unde apostolatui nostro humiliter supplicarunt ut cum nobis in beato Petro Apostolo ab ipsa fuerit veritate promissum quòd quæcunque solveris super terram, soluta erunt pariter & in cælis, eos ab hujusmodi vinculo absolvere dignemur, præsertim cum animarum quoque periculum ex hoc sibi metuant imminere. Cum igitur majores propter minorum offensam & culpa majorum minores quandoque puniri sacræ scripturæ doceamur exemplis, piam eorum sollicitudinem & timorem commendamus in Domino, & speramus quòd fides quam de clavibus Petri gerunt ipsis utilis esse debeat ad veniam promerendam, cum paralyticum ad pedes Iesu Christi summis per tegulas fides salvaverit aliena. Verum quia David ad placandam indignationem divinam, quæ culpa ipsius in populum fuerat concitata, sacrificium Domino legitur obtulisse, nos factis ejusdem, quæ ad nostram eruditionem scripta esse testatur Apostolus, inhærentes, discretionis tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus populum dicti loci, ut ad expiandam culpam hujusmodi & divinam propitiationem facilis impetrandam, aliquam Domino satisfactionem impendant monens efficaciter & inducens, præfatam interdicti sententiam auctoritate nostra denunties relaxatam, eosdem sollicitè commonendo ut sic in divino timore permanent ne quos apud homines apostolica solvit auctoritas, propria liget iniquitas apud Deum. Datum Laterani v. i. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

ARCHIEPISCOPO SALZBURGENSI, & Salzburgernsi & de Berthersgaden Salzburgernsis diocesis Præposito.

Causam quæ inter dilectos filios A. Presbyterum & C. scholarem Ratifonenses super Ecclesia in Buchkirchen vertitur, ab examine dilecti filij Præpositi sancti Nicolai & suorum conjugum delegatorum nostrorum ad nos per appellationem delatam, dilecto filio Angelo sancti Adriani Diacono Cardinali commissimus audiendam. Coram quo Presbyter proposuit memoratus quòd cum olim venerabilis frater noster Pataviensis Episcopus prædictam Ecclesiam de Buchkirchen, quam ad commonitionem ejusdem Episcopi dictus C. nullo tunc ordine fungens, pro eo quòd quandam puellam desponsaverat publicè, per litteras & proprium nuntium resignarat,

Epist. 11.
Eis committitur
quandam
causa.

B B b b ij